UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Specvlvm || Vitae aulicae

Schopper, Hartmann

Francof. Ad Moen., 1584

VD16 R 1015

Capvt XXXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70432

Visual Library

rimus, tãto magis ab omnibus deridebimur. Quæ res acrius animum, quàm cęterę omnes iniuriæ, penetrare & mordere ſolet.

Quod in tribus prioribus capitulis autor huius libri innuit, illud ipſum in hoc præſenti rurſus aulicis inculcare cogitat: Ne principum clementiæ, aut fauori nimium confidamus, néve maiora quam par eſt potentiæ dominioq; noſtro tribuamus, atq; ita nulla vrgente neceſsitate, aut dominorum ad id compellente vtilitate, nobis quamplurimorum odium, inuidiamq; cõflemus acerbiſsimam. Sed de his intelligenti dixiſſe ſufficiat.

CAPVT XXXII.

ARGVMENTVM.

Myſta vafer Satanæ Vulpem commendat euntem
Ad loca Romani relligioſa patris.
Mille ſacerdotes hoc inueniuntur in æuo,
Cuncta ſolent animo qui ſimul ante loqui.

SEd luce fulgens altera, — Reinike vngit calceos ſuos.
Aurora cùm rubeſceret:
Profectioni ſeparat,
Et illinit pinguedinem
Peronibus Vulpecula, — Reinike regem alloquitur, & benedictionem à Sacerdote ſibi dari poſtulat.
Quos hoſtibus detraxerat
Conclaue poſthac regium:
Ingreſſus inquit talia:
Nunc ex tua prouincia
Rex cogito diſcedere.
Quapropter obnixè rogo:

Tuus

Tuus Sacerdos vt mihi
Verbis eunti proſperis
Viam precetur vtilem,
Impertiatq́; gratiam,
Acerba ne ſors accidat.
Id imperaret illico
Cùm Rex, Sacerdos reſpuit,
Cauſatur atq; Præſulis
Quod lex vetet ſicario,
Et ſeparato de pio
Fidelium conſortio,
Quicquam precari proſperi.
Rex inquit, ad me Præſulis
Quid error aut inſania?
Audiſne quod Vulpecula
Adire Romam cogitet,
Prauamq́; conſuetudinem
Emendet, atq; corrigat?
Quare Sacerdos protinus
Mandata noſtra perfice.
Regis miniſter publicus
Libros reuoluit abditos,
Viamq́; vulpi talibus
Verbis precatur proſperam:
Impoſtor improbiſsime
Nequamq́; peruerſiſsime
Vel omnium deterrimo
Commendo te Diabolo.

Sacerdos benedictionem excõmunicato dare recuſat.

Cogitur à Rege ſacerdos.

Commentaria.

Suprà etiam profectionis Romanæ mentio facta eſt. Cæterũ in hoc capitulo arguuntur

tur

tur & taxantur concionatores, qui Dei miniſtros cùm agere velint & debeant, tamen potentiam hominum plus, quàm Dei grauiſsimum iudicium reformidant & expaueſcunt. Sed dummodò annuos prouentus accipiant, ſtipendiisque ornentur ſplendidis, ad cuiuſuis etiam dementiſsimi hominis choreas & libidinem canere non erubeſcunt. Vir quidam magni nominis cum Parochum illius, cuius ipſe dominus erat, pagi conueniſſet, ſerioq; & fraternè admonuiſſet, vt relicto tandem miſſæ ſacrificio, reliquisque quibus abuteretur ritibus, cœnam iuxta ipſius authoris filij Dei inſtitutionem, ſub vtraque ſpecie adminiſtraret, Pſalmosque, quibus ieiuna & miſera plebecula ad veram deuotionem & obſeruantiam diuinæ maieſtatis inflammaretur, publicè in Eccleſia cantaret, relictoque vulgari ſcorto, honeſtam in matrimonium duceret vxorem, Populo rudi Decalogum, Symbolum Apoſtolicum, orationem Dominicam, vſum Baptiſmi reliquorumque Sacramentorum concederet, crebriusque iterando in iuniores præcipuè infunderet, Denique fictis illis & commenticiis ſublatis fabulis purum & ſimplicem Euangelij textum candidè interpretaretur: Sine vlla mora reſpondit ſacerdos iſte, Cùm hanc tuam mentem eſſe cognoſcam mi Domine, id facere haud renuo, quin imò omnia pro tuo arbitratu exequi paratus ſum. Facetè, lepidè, lautè reſpõſum, nihil ſuprà. Sic enim inter Ponti-

Hiſtoria de quodã Parocho.

Vt Paulus docet 1. Corinth 1. & 1. ad Tim. 3

tifi-

tificios vſu uenire ſolet, vt plerunque concionatores ad volũtatem Epiſcoporum ſuorum vultum & ſermonem commutent. Verùm quàm ſeueram cùm ab ipſis præſulibus, tùm miniſtris factorum dictorumque omnium Deus in nouiſsimo die rationem ſit repetiturus, Scriptura hinc inde multis in locis dilucidè admodum declarat. Deo potiſsimùm inſeruire debebãt, verùm illi magis ſuis commodis, ventris voluptatibus, Sathanæque operam nouant aſsiduam. Verùm æternus Deus mercedẽ laborum ipſis tribuet digniſſimam, ouiumque ſanguinem innocentem è manibus talium luporum poſtulabit. Nec ſtultitiæ ſuæ & impietatis excuſationem aut ſatisfactionem vllam inuenient, licet ſe vi humana ad id compulſos, ſingularique Dominorum conſilio inductos fuiſſe oſtenderint. Conſultor & transgreſſor pares ſceleris exoluent pœnas. Hic quicunque aures audiendi habes, audias, & intellectum intelligendi, intelligas. Sin autem tuas facultates, annuoſque prouentus, tuæ ipſius ſaluti, ouiumque tuarum commodo, imò & ſempiternæ beatitudini anteponis, præſtabilioresque putas: aut Epiſcopi tui indignationem maioris, quam Dei omnipotẽtis iram damnationemque formidabilem facis, atque æſtimas: Agè ſerue nequam & infidelis, apage te hinc in obſcuriſsimas Auerni tenebras, fauceſque inferni profundiſsimas. Quamobrem iam ſinguli officio ſuo ſatisfacere debebant, eaque doce-

Diuitiæ fragiles animæ saluti non sunt præferẽdæ

Adhortatur ad pœnitentiam.

docere, quæ veritati conſentanea, inprimisq́; Deo accepta eſſe certò ſcirēt. Magiſtratus autem, qui hactenus concionatoribus, vt Chriſto abnegato, verbum Dei fallaciter adulterarent, ſcripturamque, vt dicitur, cæreo naſo ſuſpenſam tornarent, cauſam præbuit, contraque veritatem concionari coëgit, ſuam & ipſe in terribili illo die, quando cœli & terra commouebuntur, horrendi iudicij audiet ſentētiam, cùm nimirum formidoloſiſsimus ille iudex dicet: Age, quandoquidem tua potentia & poteſtate, quam tibi in gratiam meæ augendæ dignitatis, recteque imperandi, iudicandi, moderandique Rempubl. tradideram, malitioſè & nefariè abuſus es, & non ſolùm plurimos ad peſsimè agendum compuleris, verumetiam flagitioſis exemplis ad inferos præcipitatos, æternis ſuppliciis viuos mortuosque mactaueris: Vade nunc, omnique cum impetu in tartara irrue, machinísve admotis ea expugna, tuosq́; fideles miniſtros expulſos eripe, imò ipſis aſside, voluntatemque mutuam, ſocietatem, memoremq́; præſta beneuolētiā, in ſempiternis anguſtiis, doloribusq́; conſtitutus infinitis. Hæc tibi, tuisq́; debetur merces. Prętereà de Epiſcoporum concionatorumque officiis plurima hic commemoranda & inſerenda eſſent, verùm ipſi oēs paternas caſtigationes, fidasq́; admonitiones velut anſerum clamores reſpuunt & floccipendunt. Imò nec cœlum, nec Tartara, nec Chriſti aduētum, aut horribile iudicium credunt,

Sententia ſupremi iudicis aduerſus Magiſtratum impium.

credunt, aliàs tam oſcitantes, deſides, negligentes atque ſocordes in pietatis ſinguli officio non inuenirentur. Sed alterum nimirum ipſis voluptas exitioſa, alterum honor fragilis & caducus eripuit oculum, vt animi acies cæcata erroribus, falſisq́ue mundi illecebris, beatitatem illam cœli glorioſam nec videre, nec æſtimare poſsit, ſed [illegible] mortalium ſpes ſempiternis illis [illegible] gaudiis. De quibus iam abunde ſat[illegible], in pr[illegible] clariſsimorum virorum voluminibus tractatum fuit.

Cæcitas Epiſcoporũ.

CAPVT XXXIII.

ARGVMENTVM.

Innumeris comitata feris, Vulpecula tandem
More viatoris carpit egentis iter.
Turpib. hoc vitiis quicunq; grauatur in æuo,
Sortis ab aduerſa turbine liber abit.

VT *expediuit omnia:*
Premit dolorem pectore,
Metusq́; fingit conſcios,
Et orat inde beſtias,
Pro ſanitate corporis,
Nec non viæ ſucceſsibus,
Apud beatitudinem
Vt ſempiterni numinis
Dignentur intercedere.
Tum Rex ait, Vulpecula
Maturitas quid denotat,
Et tanta feſtinatio?
Rex dicit illa, maxime,

Reinike pro ſucceſſu itineris, reliquarũ beſtiarum vota implorat.

Qui